

⁂. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus.

Lectio.

MORTUO Alexandro secundo, invitus & mærens unanimi omnium consensu, decimo kalendas maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei: nam potens opere & sermone, ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesiâ Dei labores, molestiasque pertulerit, aut pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias à Simoniacâ labe expurgavit. Contrâ Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permansit, sequē pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum, fideliū communione privavit.

⁂. Posui adjutorium super potentem & exaltavi electum de plebe meâ: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia.

⁂. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum, * Manus.

Lectio vi.

DUM Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba è cælo delapsa, humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare: quo significatum est, Spiritûs sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione præmeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De ejus manu tandem à Roberto Guis-

cardo duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit atque indè Salernum ad dedicandum Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli contendit. Cùm aliquandò in eâ civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus in morbum incidit, quo se interitum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam & odivi iniquitatem; propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel multis contactis in urbe Synodis sapienter constituit; vir verè sanctus, criminum vindex & acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in pontificatu annis duodecim, migravit in cælum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vitâ & post mortem miraculis clarus: ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilicâ Salernitanâ est honorificè conditum.

⁂. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia.

⁂. Iste est, qui contempsit vitam mundi & pervenit ad cælestia regna. * Ipse. — Gloria Patri. * Ipse.

In III. Nocturno, Homilia in Evang. Vigilate, de eodem Communi Nona lectio de S. Urbano, Vesp. à Capitulo de S. Philippo Nereo.

DIE XXV. JUNII.

In Festo S. GULIELMI Abbatis.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui infirmitati nostræ ad terendam salutis viam in Sanctis tuis exemplum & præsidium collocasti; de-